Quelle: https://manuscripta.at/?ID=232
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



17

mnm dissipat consilia gentium reprobat autem cogitationes principum. Consilium autem domini manet in eternum cogitationes cordis eius in generatione et generationem. Beata gens cuius est dominus deus eius populus quem elegit in hereditatem sibi. De celo respexit dominus vidit omnes filios hominum. De paratorio habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram. Qui finxit sigillatim corda eorum qui intelligit omnia opera eorum. Non saluatur rex per multam virtutem et gigas non saluabitur in multitudine virtutis sue. Fallax equus ad salutem. In habundantia autem virtutis sue non saluabitur. Ecce oculi domini super timentes eum et in eis qui sperant super misericordia eius. Vt eruat a morte animas eorum et alat eos in fame. Anima nostra sustinet dominum quoniam adiutor et protector nostrum est. Quia in eo letabitur cor nostrum et in nomine sancto eius speramus. Fiat misericordia tua domine super nos quemadmodum speramus in te. Alleluia. Psalmus. Benedicam dominum in omni tempore semper laus eius in ore meo. In domino laudabitur anima mea audiant mansueti et letentur. Magnificate dominum mecum et exaltemus nomen eius in idipsum. Exquisiui dominum et exaudiuit me et ex omnibus tribulationibus meis eripiuit me. Accedite ad eum et illuminamini et facies vestre non confundentur. Iste pauper clamauit et dominus exaudiuit eum et ex omnibus tribulationibus eius saluauit eum. Immittit angelus domini in circuitu timentium eum et eripiet eos. Gustate et videte quoniam suauis est dominus beatus uir qui sperat in eo. Timete dominum omnes sancti eius quoniam non est inopia timentibus eum. Diuites egauerunt et esurierunt inquirentes autem dominum non minuentur omni bono. Venite filii audite me timorem domini docebo vos. Quis est homo qui vult uitam